



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

III. Beatam dicit Virginem Jacob, quia illo ampliore[m] accepit
benedictione[m].

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

Raban in ult. Mat. Vera fraternitas fratrem veneratur devotum, corripit dissolutum, presentem obsequitur, absentem non rodit, sano applaudit, infirmum non deserit. Non legimus Saram in lite Iudiciana adstitisse Abrahamo, adstat nobis Virgo, ubi legimus Psal. 44. *Adstitit Regina à dextris tuis. Adducentur Virgines post eam.* Chaldrus Paraphraustes. *Stabit Liber legis à latere dexterae tuae, & exarabitur in exemplari splendor tuus velut in auro obryzo.* Liber hic Virgo est ut docet *S. Epiph. de laud. Virg.* Ex hoc libro prodeunt virtutum exemplaria. Ius dirimens lites vocavit *Geometra* nostram Virginem. *Guericus Abbas serm. 1. de Assumpt.* Nequaquam crediderim majoris esse felicitatis & gloriae in sinu Abrahæ quam in sinu Mariæ degere.

2. Beatam dicit Virginem Isaac cum Rebecca.

Quia Virgo peperit.

Regnum Israelis fundaturus Deus tres elegit mulieres steriles, quarum unam Abrahamo Gen. 18. aliam Isaac Gen. 25. tertiam Jacobo Gen. 30. dedit. Isaac 40. annis Virgo, 20. maritus, & tamen non nisi sexagenarius factus per Rachelem Pater. Hanc autem Providentiam ait *Chrysost. hom. 49. in Genes.* adeptum est genus illud quia Christus D. Unigenitus Dei Filius inde secundum carnem nasci debebat, cuius in hunc mundum regius fuit introitus. De hac sterilitate Rebecca *Rupertus in 25. Gen.* Quia Donum Dei erat, & non ex hominibus, ut in femine Abrahæ omnes gentes benedicerentur, decebat sic ad dandum extendi Dei manum, ut ad cognoscendum non dormitaret ingratitude hominis. Sterilitatem orando vicit Isaac Gen. 25. *Deprecatus est Isaac Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis, qui exaudivit eum & dedit conceptum Rebecca.* Voluit Divina bonitas nasci Mariam, sed voluit veluti arcam 3. Reg. 6. esse inter duos Cherubim, quorum uterque aureus & sterilis esset, unus maris alter foeminae imagine arcae adsistentes, scilicet ex aureis Joachim & Anna prodire, sed sterilibus. Oravit Joachim ut Deus sterilitatem Annæ auferret ut scribit *Hieron. lib. de ortu Virg.* Isaac in duobus filiis, duos populos, & in duobus populis duo regna accepit. Joachim in una Filia: omnes populos & regna omnia.

3. Beatam dicit Virginem Jacob, quia illo ampliozem accepit benedictionem.

Describit Sacra historia Gen. 25. modum quo Jacob emittit benedictionem à Fratre

T 3

à Fratre

à Fratre suo Esau, & quo usus dolo, ut eam à Patre consequeretur, item, quòd Pater dolo intellecto non retractaverit. De quo *S. Aug. lib. 16. Civit. cap. 37.* Quis non hic potius maledictione expectaret irati Patris, si hæc non superna inspiratione, sed terreno more gererentur? Benedictio in hunc modum fuit. *Genes. 27. Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus.* In quæ verba *Ambr. lib. 2. de Jacob.* Erat, inquit Jacob perfectus in omni flore virtutum, & sacræ benedictionis, atq; cœlestis beatitudinis redolebat gratiam. In hac sua benedictione Beatam dicit Virginem. Modum audite. Tria in hac benedictione. Quòd sit ager odoratus, quòd plenus, quòd benedictus à Domino. Agrum odoratum Virginem *S. appellat Richard, à S. Laur.* Odoratus verò fuit, quia fuit non solum bonus sed optimus odor *Christi. Cant. 4. Odor unguentorum ejus super omnia aromata.* Ipsa de se dicit *Eccles. 2. Balsamum non mixtum odor meus.* De agro Iacobeo sic habet *Ambr. lib. 2. de Jacob c. 2.* In hoc agro est & reperitur illa uva quæ expressa fudit sanguinem, & mundum diluit. In hoc agro est ficus illa, sub qua Sancti requiescunt Spirituales gratia suavitate recreati. In hoc agro est oliva illa fructifera dominicæ fluens pacis ugento. Et concludit. Dulcis & suavis est odor agri; quia est odor naturæ. In S. Virgine non jam natura sed gratia spirabat. *Luc. 1. Gratia plena.* Agrum plenum intelliges Virginem, ex illa Dei querela *Hierem. 15. Non feneravi, nec feneravi mihi quisquam. I. XX. legunt. Non profui, nec profuit mihi quisquam.* In quæ verba *S. Hierem.* Nullus enim voluit tantum accipere, quantum ego tribuere desideravi, idcirco vix mihi quidquam videor profecisse. At verò Virgo tantum accepit quantum DEUS tribuere desideravit, quantum dare potuit. Non potuit majus dare quam Matris Dei dignitatem: itaq; Virgo est ager ille qui uvam tulit, quæ expressa sanguinem fudit, & mundum diluit. De illa dicit Deus *Pf. 49. Pulchritudo agri meorum est.* Nunquam cum Deo hic ager non fuit. *Gen. 32. Tetigit Deus femur Jacobi, et nervus ejus emarcuit.* Tetigit Deus femur Adæ in Ioachimo, & nervus ejus emarcuit, ut maculam Adæ per generationem non contraheret.

Pergit Iacobi Pater in benedictione *Gen. 27. Dei tibi Deus de rove cælestis pinguedine terræ.* *Procopius in 27. Gen.* Rorem non intelligendum vulgarem sed cœlestem: terræ pinguedinis nomine significari ea dona, quæ corpus de terra sumptum concernunt. In quibus S. Virginis benedictionem explicuit, quæ tam animæ, quam corporis donis abundè ditata. Iacob ultimum quem genuerat filium, scilicet *Benjaminum* appellavit *Filium dextere* *Gen. 39.* Verùm hoc parvum dexter fuit Matri Racheli, quo accipiente vitam, ipsa profudit vitam. De Virgine nostra loquitur *Græca Ecclesia in Mensis ore Gregorij 24. Martyj ode 8.* dum illum sic alloquitur

alloquitur. Ille qui à dextris Patris nunquam digressus substantiâ omnem transcendit, in te sibi diverforium delecturus adventat, ut te à dextris suis constituat, tanquam Reginam dignitate sibi propinquam, utque te velut dexteram suam omnibus lapsis ad resurgendum extendat.

Promittit Deus Iacobo Osee 14. *Ego ei ero quasi ros, Israel germinabit quasi lilium, & erumpet radix ejus, ut libani ibunt rami ejus, & erit quasi oliva gloria ejus, & odor ejus ut libani.* Factus Iacobo ut ros, quando cæli rorârunt, & ut ros descendit in terras, ut docet *Lyra & Rupert.* Hæc autem fuit maxima Virginis benedictio, ut esset Roris istius Mater. De Iacobo dicitur Gen. 25. *Jacob erat vir simplex.* De Virgine Cant. *una est columba mea.* Iacob ibid: *juxta Chald: Jacob erat vir perfectus.* De Virgine ibid: *una est perfecta mea.* Simplicitas à *Clim: gr: 24.* definitur. Habitus animæ varietate carens, totiusque perversæ intentionis ignarus. Virgo sine macula. *S. Ambr. lib. 2.* Virgo sine dolo sincerum servavit affectum ad omnes. *Gen. 30.* Iacob habitavit in tabernaculis peccatorum. Habuit oves alias albas, alias nigras, alias varias. Habet Virgo innocentes, peccatores, & varios ob venialia mixta cum nitore gratiæ, de omnibus tamen felicitata. Iacob de sua circa oves diligentia loquitur Gen. 31. *Die noctuq; estu urebar & gelu, fugiebatq; somnus ab oculis meis.* Ex quo infert *S. Damasc: epist: 41.* Si ergo sic vigilat & laborat qui pascit oves Laban, quanto labori quantisque vigilijs debet intendere, qui pascit oves Dei? *Bonavent. in Psalt. min.* Non accipit palpebra tua pro nobis somnum. Iacob injuriam Gen. 30. non semel ab avunculo suo passus, propositis varij coloris virgis, varij coloris reddidit oves. *Ambr. lib. 2. de Jacob cap. 46.* Symbolo variegatarum virgarum, exempla indicantur variorum Sanctorum, quæ dum calentibus animis iutuemur, ad confimilem bonorum faturam operum conformamur. Quot virtutum proponit Virgo exempla?

4. Beatam dicunt Virginem Judas, & Thamar, & Phares.

Quia sine periculo Filium peperit.

Nurus Judæ Patriarchæ Thamar in tribus habet laudem, in fulgore justitiæ, habilitate patrociniandi, & principatu maternitatis; utpote quæ uno partu Gen. 28. duas gentes edidit. Hæc Thamar genuit Phares. Hæc Gen. 38. cum post Her & Onan suos vitâ sanctos maritos, Filios Patriarchæ Judæ, tertio item ejus Filio Sella dicto fuisset desponsata, nondum tamen nupta, uterum ferre inventa, atque ob id à Juda ad incendium condemnata, hic signa quædam ad socrum misit, quibus.